



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 11. Nomen Domini, & de beneficijs, & de se ipso, amabile atq[ue]
admirabile esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

§. XI.

Nomen Domini, & de beneficijs, & de seipso, amabile atq; admirabile esse.

Immo, quàm amabile? Idcirco dicitur:

Cant. i. 3. *Oleum effusum nomen tuum, ideò adolescentule dilexerunt te; quæ oleo atque odore tantæ benignitatis vbique spirantis suauissimè trahuntur. Quanquam adolescentula, vocan-*

Orig. in lib. duar. homil. in Cantic. S. Gregor. Nysseni. orat. 1. in Cantic.

tur, vt exponit Origenes, animæ in virtute nondum perfectæ, sed incipientes. Hæ enim, teste S. Gregorio Nysseno, sunt, quæ idcirco Deum diligunt, quia sentiunt nominis illius effusionem, fragrantiam, & suauitatē. Perfecti non spectant eiusmodi suauitates. Amant enim Deū propter Deum; amant, vt ament: quippe amor verus non est mercenarius, sed liberalis. Amor verus

Rom. 14. 8.

ille est, qui ait: *Siue viuimus, siue morimur, Domini sumus.* Siue extollimur, siue deiicimur, Dominum diligimus. Siue percutiat, siue sanet, Dominum amamus. Siquidem,

S. Chrysostomus. hom. 1. ad popul. Rom. 8. 35.

vt Chrysostomus ait: *Amantis est, nunquam ab his absistere, quæ placent amato: sed dicere: Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculū? an persecutio? an gladius? Quare de his, in alijs libris differendum est; vt disca-*

discamus & illud dicere, quod sequitur: *In his omnibus superamus, propter eum, qui dilexit nos. Diligit enim etiam, cū punit. Quam ob causam, multò magis exclamandum est: Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum, in uniuersâ terrâ? Quod etiam vt, hoc titulo, admirabile esse, scias. LECTOR,*

Psal. 8. i.

*Id quod maxime, in orbe, miror, hoc est:
Oderunt homines Deum, nec vllam
Nouerunt ody inuenire causam.*

F I N I S.

OMNIA AD MAIOREM DIVINÆ
BONITATIS GLORIAM.

Cum facultate Superiorum.



Ff 5

INDEX